

1739
10
15a

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
**PECTORIS
INFLAMMATIONIBVS
INTERNIS**

QVAM

AVSPICE DEO PROPITIO
CONSENSV GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA
PRÆSIDE
DN. D. JOANNE JVNCKERO
PROFESSORE MED. PVBL. ORDINARIO
PATRONO ET PRÆCEPTORE SVO PIE VENERANDO
PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA LEGITIME MORE MAIORVM
CONSEQUENDI

HORIS LOCOQUE CONSVETIS

Ad d. Octobr. Anno MDCCXXXVII.
EVRVDITORVM EXAMINI SVBMITTET
AVCTOR RESPONDENS

JOANNES THEODORICVS WALCH
SALZVNGENSIS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

DISSEMINATIO INSTITUTI MEDICAE
DE
PRACTICIS
INSTITUTIONIBVS
INTERNS

AUTOPHILUS PROPORTIO
CONSELLA GRADUARIA FACULTATIS MEDICAE
IN VENAE VENAE ACADEMIA VENETIANA

LESSIDE

DN D JOANNE UNCKERO

LATRONE ET LIBRARIIS FAVENDO
PRO TIGCIS AT

SUMMOS IN ALTE MUDIC HONORIS ET PRALLEGIV

DECORATIONIBVS ET MUSICO MAMONIVM
EXCELSORIBVS ET MUSICO MAMONIVM

EXCELSORIBVS ET MUSICO MAMONIVM
EXCELSORIBVS ET MUSICO MAMONIVM

EXCELSORIBVS ET MUSICO MAMONIVM
EXCELSORIBVS ET MUSICO MAMONIVM

JOANNES THEODORICVS VAFCH

Johannes Theodoricus Vafch
Gesamtausgabe



DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
PECTORIS INFLAMMA-
TIONIBVS INTERNIS.

PROOEMIVM.



Ost tristem nec satis deplorandum
primorum Parentum lapsum tam fra-
gile, tamque corruptibile variis-
que misericis ac ærumnis obnoxium
existit pulcherrimum illud Creato-
ris opificium, *homo*, ut secundum
HIPPOCRATEM totus a natura morbus
sit. Quid itaque mirum? si PLINIVS L. 7. c. 51. jam o-
lim exclamaverit: morborum infinitam esse multitu-
dinem, quibus cum mortales subinde affligantur. Et
sicut morbi, tanquam affectus præternaturales, partes
fluidas & solidas lâdentes, nunquam sine molestia esse

A 2

pos-

possunt, ita negandum non erit, unum alterum gravitate & periculo superare. Et quis pectoris morbos maxime nobis ærumnosos sœpeque exitiales non dixerit? quippe qui respirationem affligunt, sive liberum & assuetum aeris reciprocum motum, ad vita continuationem summe necessarium, intercipiunt: Vnde circuitus sanguinis, a quo omnes functiones, ad œconomiam vitalen spectantes, dependent, sufflaminatur. Eiusmodi vero inter morbos gravissimi haud immerito habentur *Pectoris Inflammationes internæ*, quia in primis respirandi difficultatem inducunt, fluidorum per pulmones transitum infringunt ac impediunt, multaque sonaria ac subinde truculenta symptomata & consectaria eas excipere solent. *Vid. GABELCH. cent. 4. cur. 80.* Quae de causa circumspectam requirunt tractationem. Hæc autem a nemine, nisi qui genium atque indolem harum inflammationum satis cognitam atque perspectam habet, erit expectanda. Itaque dignæ mihi omnino sunt vise hæ inflammationes, ut specimenis inauguralis loco eas perlustrandas in me fusciperem. Faxit sancta Trias, quo institutum hoc valeat in Nominis sui sanctissimi gloriam, ægrotorum salutem & mei denique emolumendum!

§. I.

Differenti mihi de *internis Pectoris Inflammationibus* antea omnia incumbit, ut, quid his vocabulis subaudiatur, in frontispicio paucis explicetur. Internas dicimus in oppositione illarum, quæ interdum *externe* in conspectum veniunt e. g. in mannis; a quarum autem tractatione hic absti-

abstineo, & de iis tantum, quæ interiores pectoris partes ob-sident, exponam.

§. II.

Quid sit *Pectus* per vulgus licet notum sit, aliqualis tam-en autorum circa illud diffensus reperitur: HIPPOCRATES enim & ARISTOTELES nimis latior sensu sub pectoris nomine intellexerunt medium & infimam trunci cavitatem, cum con-tra BARTHOL. *Anat. reform.* p. 207. nimis stricte sternum tantum pro pectori vendit. Ne itaque quispiam justam mihi movere possit item, non absonum esse duco, paucis proferre, quo significatu hoc vocabulum sit accipendum: est nimirum pectus media trunci cavitas, in parte superiori à claviculis, inferiori à diaphragmate, antica a sterno, postica a scapulis & dorsi vertebris, laterali a costis formata; circumductis partibus communibus, musculis & pleura, non exclusis contentis.

§. III.

Pectoris consideratione præmissa, ad ipsam *Inflammationem* contemplandam nunc accedo, & de genuino illius sensu, terminis licet genericis, quædam proponens ad ulteriore disquisitionem viam sternere licebit. Inflammatio-nem autem arbitror esse humorum motum, in quadam cor-poris parte auctum, inhibitioni corruptionis putredinoso-iphacelosæ, a sanguinis stasi meruenda, destinatum.

§. IV.

Qua ex definitione discimus, quod inflammatio non sit actus confusus, turbulentus, mere passive contingens; sed a principio quodam agente ad certum & salutarem finem rationabili sane consilio directus. Hic enim motus humorum auctus materiæ peccanti, nimirum sanguinis infarctui vel stasi opponitur, quæ, sibi relata, motuque humorum ap-pulso orbata, certo certius corruptionem & putredinem iphacelosam corpori adferret.

A 3

§. V.

Duplici autem modo hunc finem salutarem obtinet, nempe vel discussione & resolutione, vel suppuratione. Discussio non alia via absolvitur, quam crebriori & alacriori humorum appulsione & transpressione ad & per illum locum, ubi sanguis, motu suo privatus, subsistens, & corruptioni expositus haeret, ut ita ab hoc affluente & interfluente humore coagulatae illae particulæ, alluendo, dimovendo & detrudendo iterum discontinuentur, resorbeantur atque penitus auferantur.

§. VI.

Quodsi autem materia illa inclusa, vel ob staseos magnitudinem, vel ob regimen ærorum perversum, vel etiam ob medicationem inconcinnam, mortui huic ad dissolutionem staseos suscepto, e repagulis suis tenacioribus cedere cum pertinacia recusat; tunc *suppuratio* sequatur necesse est. Quæ licet discussione sit difficilior & periculosior, putridam tamen corruptionem præoccupare certum est. Contingit autem illa sub eodem motu adpulsorio & transpulsorio, quando ex stasi in parte quadam facta moleculæ agilissimæ, sulphureæ & ad motus putredinoso sphacelosi productionem valde dispositæ atque aptæ mature satis & successive dispelluntur, & longissime e parte affecta removentur, reliqua vero viscida, lenta, mucido terrea & minus noxia materia, quæ tam e sanguine, quam ex ipsarum partium fibroso-porofarum colliquatione prouenit, intacta subsistit, & remotis particulis sulphureis, pristina sua mixtione colorem rubicundum exhibentibus, mox albam & pallidam, mox flavescentem & decolorem induit faciem & καὶ ἐξηντινεῖται sub *puris* nomine consideranda venit.

§. VII.

Ex hoc autem actu & discussorio & suppuratorio oriuntur omnino phœnomena illa diagnostica, per qua se exercit inflam-

inflammatio: non enim tam a stashi quam potius ab auctiori sanguinis affluxu transiisque in parte affecta intumescentia exsurgit, nec minus durties, rubor, quibus adhuc ob membranarum & fibrillarum extraordinariam expansionem & tensionem calor auctus & dolor satis acutus accedit, quod postremum etiam gravissimus. *Dn. D. PRÆSES in Conf. suo Chirurg.*
Tab. de inflammatione argumentis satis validis confirmavit. Hæc itaque de inflammatione ingenera ad scopum dicta sufficiant. Plura & prolixius enucleata legendi cupidus inveniet in *STAHLII Diss. de vera inflammationis pathologia*, nec non in *Magnis. Dn. D. ALBERTI Pathol. cap. de inflammatione in genere.*

§. VIII.

Nunc ordo requirit, ut pauca de *internis Pectoris inflammationibus* in specie pertractandis exponam; Et licet variae sint, & non solum respectu partium, quas afficiunt, sed & ratione symptomatum & periculi multum inter se distent & differant, ratione tamen causarum & curationis magis coincidunt, ut hac ratione satis apposite sub scheme disertationis illas conjunctim tractare possimus.

§. IX.

Harum autem inflammationum duas tantum species in plurimis Medicorum libris maxime obvenire constat, *Pleuritidem scil. veram & Peripneumoniam*, quibus adhuc tertiam, *Cordis nimirum inflammationem*, adjungo. Ad quod propositum me monuit calus cuiusdam patientis, qui, hac inflammationis specie corruptus, consilium auxiliumque a me rogavit. In hoc sane & durante morbo, & post illum sub sectione, attenta mente omnino observavi, quæ digna mihi videntur, ut suo loco cum aliis communicentur, sub spe utilitatis in rem medicam redundaturæ.

§. X.

Pectoris quidem *Inflammationum* plures in medium produci possent species e. g. *Pericardii & Mediastini*, sed illas taceo:

taceo: Cum de illorum inflammatione solitaria contingente prolixius differere haud opera premium esse judicem. Cum dictis enim pectoris inflammationibus congruunt, nec, nisi respectu loci affecti & eventus plus minus periculosioris distingua esse possunt. Præterea etiam membranofarum harum partium arcta connexio cum adhærentibus nobilioribus paullulum diffusat, entia præter necessitatem multiplicare. Facile enim concipi potest, quod, si etiam sonica Pericardii inflammatione obtingat, cor, exacte cum illo communicans, simul ab eadem corripiatur: Idem accidit, si mediastinum inflammationem subeat, ut vel pleura vel pulmones ob eandem rationem adficiantur. Ergo, a potiori ut fiat denominatio, non abs re esse, duxi.

§. XI.

In Pectoris Inflammationibus haud immerito etiam locum invenire posset *Paraprenitis* s. *Inflammatio Diaphragmatis*, & quidem hoc respectu, quia illud medium thoracem inter & abdomen constituit. Ast cum Anatomici vix non eadem sententia diaphragma ad abdomen referant, hic quoque affectum illum tanquam abdominalem silentio prætereundum judico,

§. XII.

Quilibet autem Pectoris affectus inflammatotius praese fert speciem inflammationis, in pectore interiori continentis, concurrente semper febre satis acuta atque continua. Et cum jam ex antecedentibus perspicue adpareat, quid per inflammationem ingenere consideratam indicatum velim; distinctione generis a specie, nec non speciei a specie haud erit difficile, si tantummodo sub ulteriori tractatione subjectum speciale paulo penitus pensitaverim.

§. XIII.

Pleuritis itaque, cœu prima Pectoris Inflammationum species, accidit in membrana illa totum thoracis cavum circum gente,

gente, quæ *Pleura* audit, & hoc vi vocis etymologica. In linguam quidem latinam Pleuritidis vocabulum est receptum, sed originem debet Græcis; dicitur enim sic ἀπὸ τῆς πλευρᾶς, vel quod idem est, απὸ τῆς πλευρᾶς, quæ voces denotant vel ipsas costas, vel membranam costas succingentem, vel latus; hinc etiam morbus lateralis, dolor lateris multis audit. *Vid.* CELS. *L. 4. c. 6.* PLINIVS compunctionem lateris vocat; Olim vulgo appellabatur telum, propterea, quod latus quasi telo pertundi videretur, prout testatur *Quintus Serenus Sammoniacus*. Germani dicunt *Seiten-Schesen*, *Seiten-Weh*. Non tamen semper pleuram solam obsidet, sed ulterius serpendo musculis intercostalibus exacte cohærentibus facile communicatur. *Vid.* KOLFINC. *Med. cons. L. 5. cons. 3. p. 554.* Alias observationes docent, pleuræ inflammationem occurrisse mox in sinistro latere *Vid.* GABELCH. *Cent. 1. cur. 3. cent. 4. cur. 70.* *Zacut Lusit.* M. P. H. *L. 2. b. 1. 20. p. 214.* mox in dorso, licet rarissime. *Vid.* RHOD. *cent. 2. obs. 10.* ut plurimum vero in dextro latere, vel pectoris parte antica. *Vid.* HOECHST. *Obs. Med. Decad. 7. cons. 4. p. 92.* A. N. C. *Cent. 1. obs. 87. p. 165.*

§. XIV.

Existunt quoque nonnulli, qui, observationibus sectionum in cadaveribus (& quidem secundum illorum opinionem in pleurite demortuis) institutarum commoti, pulmones partem affectam esse deprehendebant, nihil inflammati in pleura, sed totam inflammationis sedem in pulmonibus eorumque membrana invenientes, de quibus præcipue allegare placet PLATERVM de doloribus cap. X. RIVER. c. 7. I. VII. p. 300. HIPP. *L. de Locis in homine text.* 24. p. m. 328. HEROPHILVM, IO. ZECHIVM in Append. *Consult.* 26. Et hoc citatos auctores cumque illis alios plures eo perdixit, ut ex hac hypothesi universaliter concluderint, nunquam affici pleuram, sed semper pulmones esse laeos; quos tamen docte satis refutavit DIEMERBROECK in suis observationibus, aperte testans: dictos

B

auto-

autores vel paucos, vel nullos vere fecisse pleuriticos, sed potius peripnevmoniaeos, ex hypothesi autem peripnevmoniacos pro pleuriticis ab illis habitos fuisse, quemadmodum ipse ZECHIVS *i.e.* profitetur. Minime tamen in dubium vocare possum, quod utraque pars & pleura & pulmones tantum subiectum morbi considerari mereantur, si nimisrum pleuritis & peripnevmonia complicantur, id quod facilis negotio accidere potest, quando pulmones cum pleura extraordinarie coharent, quæ complicatio morborum postea affectum pleuritico-peripnevmonicum constituit, cui A. N. C. Cent. 7. p. 337. fatis apposite titulum Pleuripnevmoniae adstruere satagunt.

§. XV.

E familia Pectoris Inflammationum aliam nunc speciem, videlicet *Peripnevmonianam*, attingo. Græci originem hujus deducunt a voce *πνεύμα* circa & *πνεύματα* pulmo, qua deductione ac denominatione Schola Medica morbum circa pulmones hærentem insignire voluit. Ast minime rei ipsius veritati historicæ fit quod satis est, statuere, quod inflammatio peripnevmonica tantum sit cryspelacea s. superficialis, crassiore membranam, pulmones exterius cingentem, obsidens: Ipsa enim experientia refragatur, dum omnino ex multis peripnevmonia e medio sublati ejusmodi magna ac profunda sanguinis stasis magis per totum pulmonum latifundium, quam per superficialem ejus tunicaceam substantiam scrutinio anatomico aperta fuit.

§. XVI.

Nec est, cur de interioris pulmonum inflammationis possibilitate ac veritate dubitandum, ipsa enim illorum structura quo non exterius solum, verum etiam interior mollis est, & membranacea, multis vasculis sanguiferis intertexta, docet, quod sanguinis stases arque extravasationes, seu primum inflammationis fundamentum, in illis accidere possint.

Quid?

Quid? quod sputum cruentum, tanquam ordinarium legitime magisque salutariter procedentis peripnevmoniae symptoma, tam prompte ac feliciter a pulmonum superficie ad expectorationem pervenire nequit, quam ab intimo illorum substantia & propinquiore aditu materiæ in ductus meatusque bronchialium ramificationum teneriores contingere vallet. Ergo totam pulmonum substantiam pro speciali Peripnevmoniae subiecto agnoscere præstat.

§. XVII.

Jam ad *Cordis inflammationem* examinandum progredi or, quam, licet precedentibus paulo rario evénire soleat, minime tamen prorsus impossibilem esse arbitror, ut *Aristot.* *L. III. de part. animal. c. 4.* existimavit: cor solum inquiens ex omnibus corporis partibus & visceribus gravibus morbi cruciatibus non tentari, laſsumque, mortem extemplo afferre, ideo, quod, cum principium corruptatur, nihil sit, quod certe teris, quæ inde pendeant, auxilium præbere possit, cum quo etiam confessit *PLINIVS Hisp. nat. L. II. c. 42.* & *GALENVS L. VI. de usu part. c. 17.* ex cordis inflammatione semper homines repentina morte corripi docens.

§. XVIII.

Verum enim vero quamvis de affectibus cordis inflammatorii parum literis consignatum esse constet, schola tamen Medica, cor, nobilissimum totius corporis viscus, ab omnibus morbis minus esse immune atque liberum, testatur; differens mox de cordis polypis, mox de illius palpitatione; cui etiam sententia adstipulatur *PISSINIUS L. I. c. 1. de palpitatione cordis,* firmis evincens argumentis: cor gravissimis dirisque excruciani morbis. Ipla etiam relationes historicæ, ex cadaverum sectionibus depromptæ, de morbois cordis pathematis fatis superque loquuntur, velut de tabe cordis *Camerar. memor. cent. 20. p. 63.* de cordis ulcere & abscessu *ibid. p. 62.* de tabido & ulceroso corde *GARMAN. Mir. Mort. L. I. tit. B. 2.*

7. §.

7. §. 13. de cordis suppuratione & corruptione BLANCARD.
Anat. Præst. Cent. 2. ob. 6. de cordis phthiriali A. E. L. anno 1719.
Aug. p. 337.

§. XIX.

Quid itaque obstat credere, cor inflammari posse? cum sane illius substantia prorsus musculosa, propriis vasibus sanguiferis, *coronariis* dictis, praedita, transitui sanguinis, quemadmodum in aliis muscularis, accommodata sit, unde sanguinis extravasationes atque itases, data occasione, originem trahere possunt. Ergo & inflammationi cum reliquis muscularis cor obnoxium esse statu, & quidem docente autopsia: Interfui enim, uti antea mentionem feci, sectioni cuiusdam subiecti, ubi, aperto pectore, pericardii pars superior ultra dimidiā valde crassa, inflammatā, ex parte jam sphacelo correpta, imo putrida conspiciebatur. Quo diffecto, illius aqua, pauca licet quantitate, putrida tamen indolis effluēbat; cor vero ipsum circa balin non solum extraordinarie pericardio adnatum, sed & maximam partem inflamatum, & sphaceloso-putridum se fitibat, de reliquo utraque pars & pericardium & cor solito plus major videbatur. In finistro cordis thalamo concrementum polyposum, fibroso membranaceum, calami scriptorii crassitatem longe exsuperans, infixum hærebat, cuius pedunculi arteria magna longum tractum ingrediebantur. Reliquæ partes omni leſione immunes erant, exceptis pulmonibus, qui valde turgidi ac tumidi, discissisque vasibus pulmonalibus multum sanguinis fundentes apparebant.

§. XX.

Quod adhuc concernit illud assertum, cor levem vix suffere posse inflammationem, illamque illico mortem accelerare, negativam foveo sententiam; id quod probare licet non cum ægro solum (de quo jam plura) qui ad octavum usque diem vitam protraxit, verum etiam exemplis illorum, qui die nono, imo diutius adhuc superstites fuere, de quibus

vid,

vid. Bapt. FANTONI obs. Anat. Med. obs. VII. Nic. Massa Anat. de Corde. Act. Hafn. P. I. obs. 89. Nec minus fulcunt sententiam collectæ observationes de illis, qui corde saucio per aliquot dies vixerunt. *vid. A. N. C. Dec. 2. anno 3. obs. 13. 14. HENR. ab HEER obs. II. A. E. L. anno 1693. Nov. p. 512. ib. anno 1728. Mart. p. 109.* Ceterum jam diu ZACVT. *Lufit M. P. H. L. 5. bibl. 7. p. 821.* quæstionem ventilavit, an cor, vita superstite, abscessus patiatur.

§. XXI.

Ad signa tendit animus, quibus affectus pectoris inflammatorii se manifestant, & dignotioni Medici offerunt. Cognoscuntur autem partim e communibus inflammationum internarum signis: invasione scilicet cum horrore & subsequente ac continuante æstu satis intenso, gravissima siti, dolore capitinis, agrypnia, virium dejectione, pulsu celeri & frequente, urina, quæ, propter particulas sulphureas cum salinis acrioribus per motum magis expansas, rubicunda, post aliquor autem dies, maxime si refrixit, turbulenta & cum sedimento copioso rosei coloris stipata conspicitur: partim vero etiam e propriis, qualia sunt: primo dolor in thorace gravativus, pulsatorius, pungitivus, jugiter continuans, secundo, tussis cum angustia circa præcordia, difficilique respiratione, & quoties tussiunt, dolor augetur.

§. XXII.

Vt autem quilibet horum affectuum ab invicem distinguatur, illorumque varietas magis magisque eluceat, ad sequentia erit attendendum. In *Peripnevmonia* itaque dolor se exserit per universum thoracem gravativus, paululum tamen obtusus, licet in se spectatus valde sensibilis existat: In *Pleurite* vera autem dolores pungentes, acutiores, graviores, pulsui οὐρχεον, & quidem magis in dextro latere (ut plurimum enim latus dextrum affici observatum fuit) circa aut paulo infra mammillam ita sentiuntur, ut contactus paulo

rudior cum digito ad costas in pleuritide ægrius, quam in peripnevmonia, tollerari possit. In *Cordis* denique *Inflammatio*
ne observavi, magis ardentes & mordicantes se exhibere do-
lores, sub medio sterno se prodentes, summa cum angustia
atque anxietate, jugiter continuante, stipati, quam ipse ægo-
rants determinare, & ab alia bene, minus licet distincte, di-
scernere se posse, imo cor ipsum pari sentire, profitebatur.

§. XXIII.

Nititur autem hæc differentia vehementiæ dolorum, in
his affectibus occurrentiū, qualitate membranarum, quo
pluribus nimirum aut paucioribus præditæ sunt nervis, aut
quo majorem vel minorem patiuntur expansionem. Cum
itaque inter Anatomicos satis superque liqueat, quod pleura
non solum pluribus nervis, a vertebralibus & diaphragmati-
cis profilientibus, pulmonibus cordeque gaudeat, sed & ma-
jor in illa præsto sit tensio atque expansio; sequitur etiam il-
lam reliquæ esse sensibiliorem, & doloribus sub inflamma-
tione acutioribus excruciarī.

§. XXIV.

Ob vehementissimos itaque acutissimosque dolores, sub
respiratione, per motum pleuræ firmiter costis muscularisque
adnatæ expanforium, excitatos, accidit omnino, ut in pleu-
ritide singula aëris in- & exspiratio brevior & per consequens
frequentior reddatur, sine omni tamen stertore atque ioni-
tu: qualis etiam contingit cordis inflammatione affictis, nisi
quod hi majori cum anxietate, ob æstum intus ferventem,
celerrime spiritum ducant. In peripnevmonia autem omni-
um difficultiam esse respirationem, aliquali cum stertore for-
nituque, minori tamen dolore, quam in pleuritide, conjun-
ctam, plurimi Practicorum confirmant. Nec deficit ratio;
Vasa enim pulmonum capillaria, ob copiosiorem sanguinis
quantitatem, ad statim tamen discutiendam necessario conge-
stam, nimis sunt repleta, solitoque majus occupant spatiū,
unde

unde evenit, ut vesiculae pulmonales ad sufficientem aëris copiam recipiendam distendi nequeant. Quo itaque major humorum stasis atque affluxus versus pulmones deprehenditur, eo difficilior redditur respiratio, ita, ut interdum ægri vix, nisi erecta cervice, spirare valeant.

§. XXV.

Neque minus tussis Peripnevmiacos adeo affigit, ut non solum statim ab initio morbi se exferat, sed & haud prius cesseret atque remittat, quam omnis materia mucida ac cruenta e pulmonibus ejecta sit, id quod circa sextum septimumque ordinarie diem contingere solet. In Pleuritide vero longe aliter res se habet; tussis enim vel nulla, vel tamen magis siccata adest, nec etiam necessitas in hoc affectu præsentiam tussis urget, materia enim in pleura stagnans per pulmones egredi nequit, cum via non adhuc, per quas sanguis ad pulmones transferri possit. A. N. C. Dec. I. anno 3. obi. 25. demonstrare quidem fatagunt, quod pleuriticorum sputum per venam azygos in cavam, hinc in cor, denique in pulmones provenire queat: Verum enim vero hæc hypothesis non arridet; quodsi enim vera esset, difficile tamen adhuc est conceptu, quomodo materia illa, quasi suppurrata, ex pleura sub diuturno sanguinis commercio ac progressu, pulmonibus advecta, ceu talis expectorari possit. Minime itaque rationi atque experientia consentaneum existit illud, quod Autores de facili materia, intra pleuram herentis, translatione & transfusione ad & per pulmones senserunt; unico illo casu excepto, quando pulmones cum pleura concreti sunt, in quo materiae talis excretio possibilis est. Ad cordis inflammationem quod spectat, tussiculofam commotionem in allegato cauæ aque valde exigua, mox siccata mox vero cum aliquali colorati sputi, parum cruenti, excretione extitisse observavi, cum tamen pulmones post sectionem valde tumidi, turgidi, & quasi inflammati conspicrentur.

tur. Plura de Peripnevmoniae & Pleuritidis differentia vid.
Bresl. Gesch. 30. v. 1. p. 374. seq.

S. XXVI.

Quibus collatis & bene pensatis quilibet iudicio discriminativo prædictus istos affectus ab aliis similibus haud ægrius discernere poterit. Filum itaque sermonis protraho in historia morborum, subjecta pectoris inflammationibus obnoxia inquirendo, ubi notandum erit, quod non promiscue omni ætati ingruant, sed quod potius juvenilis periodus, sive media ætas, his pathematis exposita animadvertisatur, & ex hoc quidem fundamento, quoniam his congestiones sanguineæ ad pectus crebrius molestæ sunt. Attamen si concrementa polyposa, inter alias, ut causam inflammationis cordis agnoscam, hæc species natu majoribus paulo familiarior esse solet, quo etiam respectu Temperamentum Melancholicum cum quocunque alio commixtum, in hunc affectum magis inclinare ac dispositum esse censendum; Cum alias observatum fuit, quod hi pectoris affectus inflammatorii ingenerent, ut plurimum corripiant homines Sanguineos, Plethoricos, hæmorrhagiis naturalibus olim assuefactos, vel in eas adhuc proclives. Neque minus etiam constat, quod Peripnevmonia præcipue certis regionibus & nationibus, e. g. Pomeraniae, Suecia etiam & Daniæ incolis frequentissima accidat, & hoc quoque *Illuftr.* HOFFMANNVS de Westphalis in *Diss. de certiarum regionum morbis asseveravit.* Præterea circa subjecta notatu adhuc dignum est, quod aliqua illorum pectoris quadam labe, præcipue concretione pulmonum cum pleura, laboraverint, quæ ad horum affectuum genesis non parum contribuisse deprehenditur. Neque etiam in historica horum affectuum delineatione oblitterari debet, quod magis in sexu virili, quam sequiori, obtingant: rationem allegat *Celeberr.* STAHL. in *Diss. de Affect. pectoris S. 15.* inter peripnevmoniae causas externas occasio[n]ales referens impor-tunio-

tuniores motus corporis sub caloris & frigoris, inconsideratae admissis, vicissitudinibus, ubi sequentia interserit: mereatur hec ipsa ratio tanto majorem confederationem, posteaquam illi imprimis tribuenda nobis videtur principia efficacia: quamobrem Peripneumonia paulo magis familiariter evenire observetur virili, quam feminino, sexui. De reliquo tamen, si ad causas violentas, à quibus inflammations contingere ortumque capere possunt, respiciam, hæ ad certa subiecta ratione attatis, Temperamenti, sexus restringi non poterunt.

§. XXVII.

Heic non possum, quin etiam mentionem injiciam temporis, cui inflammations pectoris communes existunt. DIVVS COVS, observationibus suis hoc illustrans reperiit, quod Peripneumonia, Pleuritis aliquie pectoris affectus hyberno tempore homines infestare consueverint. *Vid. Sect. 3. Aph. 23.* & hoc etiam observatione practica experti de Peripneumonia non solum confirmant, sed & attestantur, quod illa singularis fere annis circa Februarium & Martium, tempestate præcipue humido frigida satis frequens occurrat, imo, quod interdum sporadicæ, interdum epidemicæ & cum aliis morbis præsertim exanthematicis conjuncta grassari observetur, ut *Diss. de Febre exanthematica cum Peripneumonia in Saxonia inferiori epidemicæ grasseante, & Exfordia sub Praefidio IVON. IOAN. STAHLII habita, testimonium perhibet. conf. etiam Act. Berol. Dec. 1. Vol. 3. p. 33. it. A. N. C. Dec. 3. ann. 4. obs. 43.* Act de inflammatione & cordis & pleuræ respectu generationis suæ nil certi constituere possum, cum quo proprio anni tempore & tempestate commercium habeat. Hoc enim dignoscere affectus rarius occurrentes non permittrunt; In nostra enim Germania, tanquam sub climate temperatiore, ad minimum rarissime obvenire solet Pleuritis vera, id quod etiam *Celeberr. STAHLIVS l. c. profiteretur, neque minus Act. Berol. l. e.* Cum e contrario in regionibus calidioribus eam valde solennem & quasi endemiam esse, BONTIVS & BAGLIVIVS satis superque contendant.

C

dant.

dant. Quæ autem de Pleuritidis raritate dicta sunt, valent etiam de Cordis Inflammatione, de qua ob eandem rationem neque apud nos, neque in calidioribus regionibus degentes Medicos, quæ hoc satis perspicue demonstrent, vestigia legere licet, unde non perperam est concludere, plurimos e medio tolli Medicos, qui sua praxi nunquam cordis inflammatione afflictum noverunt.

§. XXVIII.

Res nunc abit ad causalem pectoris inflammationum explicationem; ubi alii, inter quos præcipue Veteres, inquirunt: an materia parti affecta inherens, sit sanguis sincerus, purus, vel alius permixtus humoribus, nempe bile, pituita & melancholia; conf. GAL. L. 4. de cauf. pul. 8. & Libr. de conf. art. c. 16. alii vero, an illa magis sit causticæ, acris & putrefacientis indolis censenda, quæ intra minima tunicarum & membranarum nervosarum vasa congesta, ibidemque stagnans, secundum illorum hypothesisin ea distendat irritet, arrodat eoque ipso copiosiori sanguinis affluxui occasionem præbeat. Sed de aliorum opinionibus minus sollicitus causam, quam ego agnosco, illico proferam.

§. XXIX.

Materialem itaque proximam atque immediatam, quæ inflammationem parit, causam esse existimo, magnam & difficilem sanguinis stagnationem, vel potius actualem illius statim, quæ originem debet vel prægressæ nimis copiosioris sanguinis congestioni ad pectoris directæ, vel subitanæ & vehementi externarum pectoris partium constrictiōni, vel etiam aliquali pleuræ a costis & musculis intercostalibus avulsioni. Congestionem seu restrictionem sanguinis versus pectoris quod concernit, dupli modo consideranda venit: primo ceu active talis, quando principium vitale, sanitatem conservandi operosum, sanguinem vel in abundantia peccantem, & præcipue impetuose commotum, vel spissitudine aut quacunque alia qualitatis labe vitiatum ea intentione, & hoc qui-

quidem ob ætatis rationem, de qua supra diximus, ad pectus compellit, restringit ac dirigit, ut ex illo expellatur, & molesta plethora, multorum morborum causa, imminuat & removatur. Sub quo actu, imprimis si congestio minus directe ad eruptionis locum tendat, sed latiori & diffusiori ambitu partem vicinam obsideat, actualis sanguinis profusio nis loco, stasis illius atque stagnatio facile suboriri potest.

§. XXX.

Secundo, restrictio sanguinis versus pectus consideranda erit cum passive talis, quando sine intentione haemorrhagica, ex necessitate physico hydraulico ejusmodi restrictiones, translationes & regurgitationes humorum intra pectus generantur, quæ pari ratione ad humorum stases ansam porrigitur valent. Ad istiusmodi autem & activas & passivas translationes humorum versus pectus & subsequentes stases symbolum suum conferunt causæ quædam occasionales seu procataractæ. Inter quas sanguinis evacuationum naturalium, alias consuetarum, repentina suppressio aut cohibitus, neque minus etiam solitarum artificialium sanguinis missiōnum neglectus atque omisso, non ultimum merentur locum; de quibus passim testantur autorum observationes. *Vid. TIM. a GULDENKLEE L. 2. cas. 7. it. L. 4. cas. 35.* Omnia maxime ad tales sanguinis congectiones atque incarcerationes disponit vehemens sanguinis & humorum massa commotio atque expansio, in subjectis praesertim plethoricis, per immoderatam corporis exercitationem, aut per potus astuosos, plus justo ingurgitatos, aut etiam per animi incandescientiam inducta; quod eo magis accedit, si hunc statum improvida frigidi potus ingestio subsequatur; *vid. A. N. C. Dec. 1. no. 2. obs. 258.* de pleurite vera a frigidore cerevisia potu, aut si repentina corporis refrigeratio superveniat, sub qua externalium partium porosarum & valorum interiacentium constrictio inducitur, & humores versus interiora repelluntur, ut hac ratione tanto facilius, ob stagnationis moram, ipsi subjici-

jicientur stasi. Huc etiam spectant omnia validiora remedia, humorum massam intimius penetrantia & valde commoven-
tia e. g. Vomitoria, vid. RIEDL. *Lin. Med. an. I. Febr. obs. 19.* p. 52.
it. balnea nimis calide applicata, fortiora sudorifera, pur-
gantia draistica, quæ posteriora, ob vehementes, quos exci-
tant in intestinis spasmos, sanguinem, præsertim si abundat,
ad partes superiores propellunt, id quod eo facilius evenit,
si repentinum externi corporis refrigerium accedit. Post
colicam etiam flatulentam & convulvivam, quando aliquot
dies continuavit, consecutam esse peripnevmniam, Practici
annotarunt; neque deficit ratio: ob præsentes enim status &
spasmos liberior sanguinis per abdominis viscera transitus im-
peditur, unde copiose régurgitationes ad pulmones sunt, ex
quib[us] reales tales stases originem capiunt.

§. XXXI.

Porro ad ejusmodi sanguinis incarcerationes causandas
per quam idonei sunt illi animi affectus, qui vegetum & li-
berum humorum progressum retardant ac impediunt, qui sa-
lulares haemorrhagias supprimunt & turbant, aut ex periphe-
ria & reliquis corporis regionibus sanguinem præcordiis fre-
quentius advehunt, e. g. terror, timor, tristitia, cura alia-
que similia pathemata. Illa etiam medicamina, quæ humo-
rum consistentiam ita alterant, ut proportionem suam ad fa-
ciliorem progressum amittant ad infarctus sanguinis & stases
viam aperiunt, quo pertinent præcipue adstringentia, refri-
gerantia, motus cohibentia ac sistentia. Ejusmodi denique
sanguinis stases provocant omnes violentiae pectori illatae,
cujus generis sunt: vehementes pectoris risus cum spiritus
violentia suppressione, contusiones, ictus, lapsus ab alto
onerum graviorum tractationes, sub quibus præcipue aer in
thorace vehementer comprimitur; Vid. RIEDL. *Lin. Med. anno.*
I. Febr. obs. 18. p. 51.

§. XXXII.

Ex hactenus prolatis patescit, me quidem profiteri, quod
qui-

quilibet pectoris affectuum inflammatoriorum a causis jam al-
legatis, a restrictione & congestione humorum versus pre-
cordia, a violentia pectori illata, ortum capere possit: In
perquirendis autem causis paulo specialius procedens, in Pleu-
ritide vera aliam proximiorem causam, extravasationem san-
guinis atque stasin inducentem, ægrius agnosco, quam ali-
qualem secessionem s. avulsionem vel pleuræ a costis, vel
costarum a musculis intercostalibus, a paulo ante dictis cau-
sis violentis prognatam; quo sensu etiam huc spectare vide-
tur observatio BARTHOLINI Act. Hafn. V. 2. obs. 96. de Pleuriti-
de vera, risu provocata. Cum autem firmissima pleuræ cum
musculis costisque ipsa connexio ac cohæsio in causa sit, cur
non adeo facile in illa oriri possit talis avulsio & subsequens
stasis; infrequentiam raritatemque inflammationis pleuriticæ
exinde deducendam esse statuere non pertimelco.

§. XXXIII.

De Peripnevmonia tempore hyemali, præsertim circa
aequinoctium vernale ordinarie ingruente, adhuc moneo,
causam antecedentem proximiorem staseos in pulmonibus
subsecutæ, in aeris ac tempestatis conditione querendam esse,
tunc enim temporis aer ut plurimum frigidus & sapissime si-
mul humidus existit. Ab aere itaque humido, per inspiratio-
nem attracto, substantia pulmonum membranacea relaxatur,
& in tono suo debilitatur, exterior vero corporis habitus a
frigore aeris constringitur, per constrictiōnēm externarum
partium sanguis, in hypocauſitis calefactis præcipue commo-
tus, versus interiora repellitur, sub qua mutatione ac regur-
gitatione cum impetu ad pulmones relaxatos proluit, ibique
stagnationem & stasis subit. Insuper nonnulli Practicorum
commemorant, quod etiam Pleuritis Peripnevmoniae & vice
versa Peripnevmonia Pleuritidis causa evaserit. Vid. GABEL-
CHOV. Cent. 4. Eur. 79. de Peripnevmonia ex Pleuritide. BLEGNY
Zod. GALL. anno 1682, Febr. obs. 21. de Pleuritide ex Peripnevmonia.

C 3

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Circa causas adhuc occupatus, paucis tandem de concrementis polyposis mentem aperiam. Et quemadmodum hæc ad varios pectoris morbos producendos apta sunt atque idonea, sic ad sanguinis stases atque inflammations in corde oriundas paulo proximus accedere, omnemque viam aperire videntur; siquidem tale præternaturale concrementum liberum sanguinis motum in corde ita turbat, ut impedit & confuse procedat, & e corde ægrius atque inordinatus effluat; qua propter etiam pulsus turbulentus, impeditus, confusus & aliquando intermittens existit; sub qua calamitate & confuso statu & gradu motus sanguinis, in suo centro constituti, stagnationes & stases in musculosa cordis substantia suboriri possunt.

§. XXXV.

Ne itaque hæc sanguinis stasis atque incarcерatio a paulo anteа commemoratis causis in parte laborante prognata, celeri progressu putredinem induat, subitamque mortem acceleret; resistit, quemadmodum in §vo 4. jamjam indicavi, quantum fieri potest, principium vitale, auctiori humorum motu congestorio, appulsorio ad & per ipsas partes affectas directo, quo staseos discussio obtineatur vel plenaria, vel, sublati particulis agilioribus, remaneant inertiores saltem, crassiores, celeri & acri ulteriori corruptioni subeundæ inceptæ abscessumque formantes. Quodsi autem motus inflammatorius partem corporis internam corripiat, & ob visceris nobilioris præstantiam majus periculum metuendum videatur, tunc duplicat principium illud vires suas, excitando præter partialem inflammatorium motum, universalem illum, resolutoriū, quem febrilem salutare solemus, ut conjunctis hac ratione viribus staseos discussio eo promptius suscipiat & metuenda corruptio avertatur.

§. XXXVI.

Prognoseos formationem nunc instituo, & sicut ex ha-
ctenus recensitis quilibet facile colligere poterit, affectus pe-
ctoris

Ororis inflammatorios non esse leves, sed soticos & graves ita acuti principem obtinent locum; id circa brevi tempore natura aut vincere solet, aut victa succumbere cogitur. De Pleuritide vera hoc profitentur A. E. L. S. VI. p. 127. dum dicunt: morborum acutorum illam esse principem; id quod de Peripnevmonia haud minus dicendum. Cordis autem inflammationem, ob laborantis partis præstantiam paulo periculosem reliquis esse existimo, minime tamen quamlibet illius pro infanabili declarare possum, præcipue, si stasis sanguinis non adeo magna præsto sit, & antea inflamatio oriatur, quam omnis humor serosus a stasi exhalatus eandem contumaciorem reddat. Alias omni tempore observatum fuit, hos affectus, licet nunquam periculo careant, atque tamen proiectioribus longe majorem perniciem intulisse, quam quidem junioribus, vid. BINNING. Cent. 2. obs. 41. Neque minus innotuit, eos, qui semel his affectibus & præcipue Peripnevmoniae obnoxii fuerunt, de novo ab iisdem interdum corripi, vid. ETMUL. in Prax. GABELCH. Cent. I. cur. II. Ipsæ etiam relations historicæ contendunt, quod hi morbi plerumque ita se gerant, ut alter cum altero saepissime communicet & complicetur, vid. HOECHST. Dec. 7. c. 4. p. 92. A. N. C. Cent. I. obs. 87. p. 165. Id quod facile demonstrandum ac concipiendum, partim ex concretione pulmonum cum pleura, qui homines minus raro laborant, ut Celeberr. STAHLIUS in Diss. de Aff. pest. §. 37. testatur, item A. E. L. anno 1699, Febr. p. 52. partim vero etiam ex arcta atque immediata vasorum languiferorum cordis & pulmonum connexione. Qui status pothac complicatus major periculum portendit, & exinde, si dolor punctioris locum saepè mutare solet, haud ægre dignoscendus. De reliquo ex hac affectuum complicatione confusionem illam ortum traxisse ominor, quod multi autores pleuritidem & peripnevmoniam unum eundemque esse morbum, aut in pleuritide non pleuram solum, sed semper pul-

pulmones affici crediderint. Accedit adhuc, quod Pleuritis vera & Peripneumonia interdum cum angina conspiraverint, qua propter Pleuritis ascendens anterior descendente esse di- judicatur. *Vid. Z. A. C. LVSIT. M. P. H. L. 2. biss. 9 p. 204.* item PLA- TER. *L. 2. p. 391.* Quod autem Pleuritis veratim in lateris pe- riculofosior sit dextri *vid. Z. A. C. LVSIT. l. c. biss. 20. p. 214.*

§. XXXVII.

Præterea de his affectibus constat, quod sub legitima tractatione cunctem plane terminum quasi criticum respectu periodi servent, nec ultra septem ordinarie, aut ad summum undecim dies protrahantur, sed quod tota inflammationis sphæra intra hunc terminum, ubique salutariter hi morbi cedunt, absolvatur; quodsi vero dictum terminum transgre- diantur, ut in annosioribus contingere solet, plane ancipitis sunt eventus. De Pleuride vera Medicis Practicis in aprico est, quod intra hunc terminum, vel per haemorrhagiam narium, bene & sufficienter succedentem (de qua vero notandum, quod teste Hipp. Coac. Prænot. 412. supra modum rubræ sanguinis e naribus stillæ malum denuncient) vel per sudorem largiter erumpentem finiatur. Sed hic obtinet etiam Hippocratis dictum: nullum modicum, nullum paucum est criticum; sudor enim, nisi sit valde largus, morbum non discutit. Extra dies autem criticos sudatio *largior* minus tuta ob- servatur. De Peripneumonia contra historia morborum do- get, eam solvi sola expectoratione materiae mucosæ, flavedine & imprimis sanguine tinctæ, interdum etiam purulentæ; & quo facilior hæc excretio succedit, licet aliqualem pulmo- num læsionem indicet, eo magis tamen spes est convalescen- tia; imo quo citius hoc sputum cruentum apparet, eo bre- vior est, quo vero tardius, eo longius protrahitur morbus Hipp. S. 1. apb. 12. In omnibus his inflammatoriis affecti- bus urina copiosa, nec minus parca, tenuis & pallida nun- quam periculo vacat. Si vero urinæ turbulentæ circa diem quar-

quartum sedimentum roseum deponant, optima est prognostis: quibus autem ad morbi initia crassæ existunt urinæ, deinde ante quartum diem tenues evadunt, iis mors impendet. HIPP. Coac. pranot. 415. Crebrior alvi vero fluxio, præsertim cum urina tenui sine sedimento stipata, nunquam secura habetur. id. Sect. VI. apb. 16. Ad desperata denique & funestum eventum declarantia signa refertur, si dolores admodum urgentes simul & semel evanescant, pulsus & vires cadant, & patiens quasi contabescere incipit; suppurratum enim & rupatum esse malum vel sphacelo correptum indicat. Nec minus mali ominis existunt: ardor ingens internus cum multa extremerorum refrigeratione: syncoches anxiæ: singultus contumax: sudationes enormes: vomitus nigrorum circa dies criticos, imo etiam dejectio talium, quæ manu quasi ducit mortem paucis horis subsequentem.

§. XXXVIII.

De Prognosi adhuc sollicitus consultum esse duxi, ut de harum inflammationum solutione ac terminatione per purulente materiæ excretionem, viis plane extraordinariis contingentem, pauca in medium proferam e. g. de Peripneumonia per diarrhoeam purulenta terminata de qua vid. A. E. L. anno 1719. Aug. p. 337. SPINDLER. obs. 24. Act. BEROL. Dec. I. Vol. 9. p. 25. Miscell. Nat. Curios. Dec. II. anno 3. obs. 146. Idem de Pleuriti de per urinam purulenta soluta vid. RIEDL. Lin. Med. anno 2. Jan. obs. 18. p. 28. HILDAN. Cent. 2. obs. 21. & 31. A. N. C. Dec. 2. anno 9. obs. 110. RHOD. Cent. 2. obs. 14. 15. Idem de excretione puris per umbilicum in sponfa pleuritica ex relatione TULPII Obs. Med. L. 2. c. 6. Quarum historiarum magnum adhuc catalogum allegare possem, si de re esse judicarem. Cum autem sana ratio suadeat, & ipsa autopsia Anatomica confirmet, nullas in statu naturali & ordinario dari vias, per quas materia purulenta e thorace ad intestina aut ad vias urinarias & vesicam transferri possit; illas prætermitto, firmissime credens, Observato-

D

res

res in vera morborum diagnosi & dijudicatione partis laxa errasse. Quare translationes tales atque excretiones purulentas tam diu impossibilis esse arbitror, quam diu nullus e doctoribus me possibilitatis convicerit: præsertim vero cum sanguinis in his affectibus peculiaris constitutio de purulentæ hujus excretionis qualitate, si qua statuenda est, rationem porrigitur videtur longe probabiliorem. Tantæ enim visciditas ac tenacitatis sanguis esse deprehenditur, ut si in ejusmodi casibus emissus fuerit, materia flavo-albescens corii tenacis instar ei supernaret, quam imperitus facile pro vero pure declarabit, qualis casus legi potest in *Misc. Nat. Cur. Deo.* I. anno 6. obs. 147. Quando itaque sub motu febrili talis sanguinis visciditas discontinuat, aptaque redditur, ut deinde vel per alvum, vel per urinam copiose excernatur, mirum esse non poterit, si autores mūcidam hanc materiam, pus verum quidem non constituentem, pro tali venditaverint.

§. XXXIX.

Sufficientia hæc pro historica pectoris inflammationum delineatione dixisse, restat, ut de illarum *curatione* differam; quæ autem, quemadmodum quilibet pertipcit, in *stafos* illarum inflammatoriae *resolutione* ac *discussione* unice conficitur. Quanquam autem negotium hocce discussorium & resolutorium magis ab ipsius naturæ energiâ ac bonitate, quam Medici potestate sperandum sit: nemo tamen indubium revocabit, Artificem hanc discussionem posse promovere, si modo, cœ minister, naturæ suppetias ferat, & medicamina placida, intentioni suæ adæquata, subministret. Quo itaque effectus stafos inflammatoriae resolutorius ac discussorius eo melius succedat, eo attendendum erit. I. Ut motus inflammatorii & febrilis ratio habeatur, II. Ut symptomata legitimo modo tractentur.

§. XL.

Ad Primam quod attinet Indicationem, observandum est,

est quod hic motus febrilis optimum atque unicum sit remedium, quo natura staseos sanguinearum discussionem absolvere possit. Vnde fluit, motum illum, ad salutarem finem institutum, nulla medicatione turbari, impediri, multo minus supprimi, sed potius adjuvari & ad placidum suum successum atque exiitum promoveri debere. Quam auream methodum Celeberrimus Dn. D. Praes discentibus non solum crebrius inculcare, sed & inscriptis suis passim commendare solet; sub cuius fidelissima manuaditione per sat longum tempus praxin ipsam exercui, cui proinde data hac occasione publice gratias ago immortales. Ante omnia itaque, quæ liberiorem sanguinis progressum impediunt, obstacula removenda sunt; & cum Obstructio. Alvi ad liberioris sanguinis in intestinis profluxus sufflaminationem haud parum contribuat, statim in principio curationis illius conditionis ratio habeatur; si itaque obstructa deprehenditur alvus, quantocytus aperienda, & per totum morbi successum aperta servanda est. In hunc autem finem exulent omnia purgantia, licet sint leniora; teste enim experientia humores per hac commoventur, & ad partem affectam plus justo concitantur. Laudem magis promerentur lenientia, humectantia, mannata, passulata, ol. amygd. dulc. syrup. violar. potus sufficiens tepidus, præcipue autem. Enema ex lenientibus & emollientibus speciebus fatis notis.

§. XLI.

Alvo itaque hac ratione aperta, ad aliud obstaculum removendum, scilicet ad Plethora meas meditationes dirigo, quæ naturæ in hoc negotio discussorio quam maxime offenta ac molesta esse deprehenditur. Hæc autem confidatio deducit me ad hæfitationem circa V. Snem prognatam, ut haud immerito questionem moveam, an illa in his peccoris inflammationibus sit necessaria, saltem utilis? Quidam enim illam, ceu promptum ac retum remedium ebuccinant,

D 2

ut

ut BAGLIVVS & SYDENHAMVS, item BINNINGER. *Cant. 3. obs. 68.*
de Pleuride vera profitentur. Cum alii contra contendant,
eam nec semper tutam, nec noxiā esse, *vid. HOECHST. Dec. 7.*
c. 5. Rursus alii afferunt: tales viscerum inflammations pro-
fus tolli posse, omissa sanguinis detractione, quoniam, cele-
brata illa, ejusmodi morbi diutius protraherentur. *Vid. Hisfor.*
Morb. Vratislav. anno 1699. p. m. 51.

S. XLII.

Ad hanc itaque quæstionem decidendam respondeo; V.
Snam in omnibus pectoris inflammationibus iustituendam es-
se, si nimirum conspicua sanguinis abundantis præsto sint indi-
cia, maxime vero si tempus missione fanguinis artificialium
& naturalium, alias consuetarum, coincidat, vel jam prater-
missum, aut naturales prorsus suppressæ sint, porro si graves san-
guinis commotiones atque expansiones deprehendantur, vel
statim in principio morbus cum vehementia atque anxietate pa-
tientem corripiat. Ast notatu dignum est, quod hæc sanguinis
ventilatio, nisi quantitate proportionata instituatur, plerum-
que male cedat: nimis enim parce administrata, sanguinis in-
turgescientiam inducit, & naturam ad excernendi intentio-
nem concitat; unde circa dies criticos haud raro exundatio-
nes versus caput oriuntur: nimis autem largiter, aut more
Gallorum sapienter & promiscue instituta, naturam debilitare
observatur. Præterea subj. c̄tis animo & corpore sensibiliibus
hæc sanguinis evacuationes circumspicte commendentur, quo-
niā natura quam facillime in motuum vitalium perturba-
tionem per illas conjicitur. Tempus denique, quod concer-
nit, quo V. S. instituatur, omnes tere Practici mecum con-
sentient, eam ante signa coctionis, i. e. statim in principio
morbī esse suscipiendam, & quidem ad sanguinis versus loca
superiora redundantias mitigandas & revellendas effectus V.
Snis in pede certior esse videtur, insuper majorem quoque
quantitatem sanguinis, quam in curationibus exposcit natu-
ra,

ra, in pedibus quam in brachiis, ob minorem ibidem sensibilitatem emittere possumus, cui accedit, quod, rebus sic se habentibus, bis venam in his morbis secare haud necesse sit.

§. XLIII.

Administrata itaque, vel etiam pro ratione circumstan-
tiarum omissa V. Sine, omnis nervus eo intendatur, ut libe-
rior & æqualis sanguinis distributio per universum corpus in-
stituatur: Quaenam enim promota, non solum tota massa sanguinea,
quaæ se nimis lentescerent ad tenacem exhibet, resolvi,
attenuari, sed & abrasio & dissolutio particularium, in statu
contentarum, sub perenni vegetoque sanguinis motu ad pul-
sorio ad partem immediate lascam eo melius succedere po-
test; resolutis autem particulis, orgasticis scilicet, jamjam cor-
ruptis aut in corruptionem propensis, ad placidam excretio-
nem diapnoicam via monstretur.

§. XLIV.

Quando autem §. 39. indicatum fuit, omnem curationis sphæram staseos resolutione absolvit, meum esse arbitror, ta-
lia recensere medicamina, quaæ hunc actum resolutiorum fa-
ciliorem reddunt, nec tamen unico naturæ remedio resolu-
torio, motum febrilem puto, contradicant. Classem au-
tem resolventium sanguinem coagulatum perlustrans vix re-
perio, quaæ huic scopo direcťe infervire possint; quaenam enim
speratum effectum promittere videntur, id non præstant, nisi
notabili quantitate & immediata ad partem laborantem ap-
plicatione, cuius autem in his affectibus nullus locus. De
iis quoque remediis, quaæ particulis tenerioribus, volatiliori-
bus gaudent, & quaæ BOYLEVS præcipue adhibenda commen-
dat, nihil boni sperare licet; sanguinem enim in motu or-
gastico jamjam constitutum, magis magisque concitant, exæ-
stuant, febrem adaugent, deliria inducunt; unde etiam STAH-
LIVS dixit in Diff. de Medicina Med. curios. Si quis vult videre de-
liria, det volatilia. De reliquis calidioribus, humores eorum-
que ebullitionem valde impellentibus, atque excitantibus ipse

D. Dn.

Dn. D. Praeser in Consip. Med. Tab. LXIV. e autel. 2. profitetur, quod infelix conamen sit, his dissolutionem tentare. Nulla itaque sanguinem coagulatum resolventia positiva suadere possum.

§. XLV.

Quæ vero adhuc laudem merentur, & in his internis inflammatis ingenere admitti possunt, staseos & sanguinis tenacis resolutioni magis secundario & indirecte subvenire deprehenduntur, colligando nimicrum & abstergendo serum. Quem in finem commendantur diuretica non positiva sed salina temperata, abstergentia & humores fundentia, cujus census sunt: *Terrea, ostracoderinata, acido citri imprægnata e. g. Lap. Cancror. Conch. Matt. Per. ppt. & horum Magisteria, item Dens Hippot. Dens apri. Mandibul. Lucii pifcis ppt. & acido saturata; porro Antimoniorum fixa, Ceruss. Antimoni, præcipue Antimon. diaph. quod in A. N. C. Dec. I. anno. 3. obf. 72. quam maxime ad hos affectus laudibus extollitur. Omnibus autem palmarum præcepit Nitrum puris. quod intrepide per totum morbi suc. effum refracta semper dosi, coniunctis aliis congruentibus, porrigi potest, eo magis, si nimis in Peripnevmonia urgat tussis; quodsi vero non bene succedat, illius etiam usus largior esse conceditur. Dicta jam medicamina humores non modo fundunt, colligant, abstergunt, sed & motum effrenatum atque inordinatum febilem infringunt ac temperant, eoque ipso placidam transpirationem promovent; unde eo magis commuendari merentur. Poterunt autem vel seorsum sub forma pulveris, vel cum aquis diappnoicis combinata, in forma potionum propinari, e. g. cum aqua destill. Chærefol. Scord. Plantag. Scorz. Cichor. Galeg. Bngloss. Card. ben. Paralyf. El. Tiliae, Sambuc, aliisque congruis; ex his aquis etiam, additis Syrupis appropriatis, Julepi parentur. Ex Rad. & Herbis huc quadrant Rad. Helen. Pimp. alb. Vincetox. Petalid. Caryophyllat. Cichor. Tarax. Hb. Chærefol. Heder. terrestr. Scord. Agrimon. Rub. tint. Bellid. min. ex quibus decocta vel infusa theiformia parari, ægrisque offerri possunt; siquidem hæc, dum calide forbillantur, sanguinem non solum magis attenuant, fluidioremque reddunt, sed etiam diappnoen sublevant, momentique humorum cohident, inno fuso quasi blando resolutionem & diffusionem adjuvant. Ex compotorum denique numero tantum utilia esse censeo: Eff. Alexipharm. Stablii, Eff. Pimp. alb. & Scord. anat. portione mixta, Mixt. Simpl. vel sola, vel Spir. nitri dulc. aut. Liqv. Anod. Hoffmanni combinata; vix vero Tint. Bez. Wedel. Michaël. Eff. Therical, aliasque calidores & concentratas Essentias sumendas consulo; cum enim omnia hic jam in motu fortiori sint, idem eveniet, ac si igni oleum reddatur.*

§. XLVI.

§. XLVI.

Sunt etiam quæ specificæ celebrantur remedia e. g. Dens apri ppt. Mandibul. Lucii pīscis, & universa ossa capitis eius ppt. it. Hb. Charefol. præcipue in substantia comelta , Hb. Hyssop. nec minus Sambucina aliaque plura, vid. etiam A. N. C. Dec. 1. obf. 10. ubi ex cucurbita & oleo olivar. præparatum extollitur. Hortum præcipua ipse quidein, non autem seu specifica commendavi, quæ alii dijudicanda & experienda dera- linquo. Ceterum Semen C. M. cuius specifica virtus in pleuritide jam a multis annis non sine jure celebratur, in reliquis dictis inflammationibus cum fructu etiam adhiberi, & vel sola illius grana , vel emulsiones ex iis cum præfatis aquis destillatis paratae, propinari possunt. Conferunt etiam in Emulsionibus Sem. Aquileg. Amygd. dulc. Pineæ, & levientibus doloribus pauxillum Sem. Papav. alb. reliqua vero feminæ, frigida vulgo dicta, ob eximiam mucifcentiam hic excludo. Ante omnia vero, ut in aliis morbis, sic in primis in acutis his inflammatoriis affectibus, nil magis cordi sibi habeat Medicus, quam temporis oportunitatem, ut mutuum successum præparationis felicit & evacuationis diligenter observeat, & quando natura præparat, hinc etiam insistat operationi, resolventibus nimirum abstergentibus, absorbentibus & temperantibus, si vero evacuat, & æstus remissio exiliit, tum commendatas adhibet diaconoicas, levientias temperatas, inter positis temperantibus, analipticis, Julapiis, aliquando etiam emulsionibus; maxime vero juvat bonum regimen, quod ab omni inquietudine & nimio æstu vacuum est; contra omnes refrigerationes sive in-sive externæ sollicite evitande sunt.

§. XLVII.

Consideratis itaque & in usum vocatis ijs, quæ interne usui esse possunt, ad externa transeo; sed parum præsidii in illis esse judico, cum non tam directe & penetrando slafeos resolutionem adjuvent, quam potius remote, transpirationem nimirum promovendo, motumque tonicum roborando operentur. Inter ea & his discussionem tentare, & maturatio- nis inhibitionem intendere æquum est; Quando autem indicatio fuit, quod externa aperiendo transpirationem maxime condicant, tunc omnia illa excludo remedia, quæ poros cutis obliterant, diaphoonem impediunt, & eo ipso suppurationi viam sternunt; cuius generis sunt: omnia unguino- fa, emplastica valde mucida, quæ posteriora tamen, si non adeo mucida existant, tolerari adhuc poterunt, non quidem continuo, sed alternatiū applicanda. Attamen laudem magis meretur Spir. vini camphoratus cro- catus, sub initium præcipue, calide cum linteo multiplicato adhibitus. A- lii his præferunt fatus calidos, siccios, & farin. fabar. hord. surfar. orobi, milii,

milii, Rad. irid. flor. bryon. sigill. Salomon. Hb. Hyssop. matricar. Puleg. Flor. Chamom. Rosar. Sambuc. semi. lin. foenegr. cum camphora vel sine illa paratos, qui etiam fructum pollicentur. Alii ex his speciebus catalplamata parant & doleni pectori imponunt, quæ vero circumspecte adhibenda sunt. Iterum alii dictas species concoctas vesicis bubulis excipiunt, & hac ratione affectam partem cum utilitate sovent.

§. XLVIII.

Sequitur nunc Altera Indicatio in harum inflammationum curatione administranda, ut scil. symptomatum habeatur ratio. Videtur quidem, ac si hæc præcipua esset indicatio, sed bene notandum est, quod omnis labor artificis frustraneus imo periculosus sit, nisi per prædictam primam indicationem, via præparetur, totusque febris cursus legitime tractetur; hand enim commodius securius & praestitia & consequentia symptomata avertere poterit Medicus, quam si omnia leniori & janjam indicata methodo suscepit. Quod enim attinet ad dolores, in thorace urgentes, de quibus ægri anxie conqueruntur, caveat Medicus, ne in ipsis doloribus, narcoticis & opiatis utatur; hec enim non modo motuum vitalium, animalium & naturalium confusione inducent, virium jacturam ministrant & accelerant, sed & motus salutari ter susceptos simul & semel prosterunt, nec raro mortem ipsam advocant subitanam; quare præter Emulsiva papaveracea, Syrup. papav. alb. Diaſcord. Fraeſlorii, fortiora eligere non suadeo. Conducunt magis, si que tuta esse & adhiberi possunt, lenientia, gelatinosa, laetitia, decoct. C. C. aven. decoct. ex Rad. Scord. Liquirit. Fenicul. Saraparill. Hb. Veron. Scord. Pulmonar. c. Raf. C. C. Neque minus egregie se gerunt Emulsiones ex speciebus supra nominatis paratae. Omnimaxime in haec calamitatem se commendavit Cortex Cascarillæ, qui, adhibitis antea præmissis, vel foliis, vel cum absorbitibus & temperantibus mixtus, insignem exhibet utilitatem. Et haec pro pectoris inflammationum internarum consideratione & tractatione dixisse sufficiant. Deo T. O. M. pro benignissime suppeditatis ad hunc laborem viribus gratias perfolvo, quas possum maximas, cum devoto suspirio, velit & imposferum meis adesse conaminibus, ut omnia vergant in magni sui Nominis gloriam & honorem, tanquam meum propositum

FINE M.

Diss. Halle 1737(1)

ULB Halle
003 855 163

3




56.

vD 18







1737
10
15a

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
**PECTORIS
INFLAMMATIONIBVS
INTERNIS**

*QVAM
AVSPICE DEO PROPITIO
CONSENSV GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA*

PRÆSIDE
DN. D. JOANNE JVNCCKERO
*PROFESSORE MED. PVBL. ORDINARIO
PATRONO ET PRÆCEPTORE SVO PIE VENERANDO*

PRO LICENTIA

*SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA LEGITIME MORE MAIORVM
CONSEQUENDI*

*HORIS LOCOQUE CONVENTIS
Ad d. Octobr. Anno MDCCXXXVII.
EVRVDITORVM EXAMINI SVBMITTET
AVCTOR RESPONDENS*

JOANNES THEODORICVS WALCH
SALZVNGENSIS.

*HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad.Typogr.*

